



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

9. Fures in patibulo extolli, vt cælo sint propiores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

audiuit: *Non ad hoc, sed ad Hirschaugense patibulum pertinet.* Hoc velut è tripode acceptum oraculum mago indicavit, qui proinde illum etiam atque etiam monuit, vt eum locum, quantum posset, vitaret, vel certè, ne in illo rei vlli alienæ manus iniiceret, alioqui certò futurum, vt & ipsi manus iniiciantur, immò & laqueus. Excepit vaticinium Iauernio, & aliquamdiu diligenter cauit fatalem locum; alibi fur satis felix, nusquam præda vacuus discessit, cum multa deprehenderet, numquam fuit ipse deprehensus. Verùm etiam huic hominum generi suus est autumnus, quo maturescunt. Postquam enim multa passim clepsit, accidit, vt, cum nundinæ aliquando Hirschaugiæ celebrarentur, ipse verò non longè inde abesset; vicinitate allectus, eodem quoque se conferret. Sed memor vatis sui seuerè statuit, omni furto abstineret. Difficile est refrænare consuetudinem iaueteratam. Quamobrem vix locum ingressus, in rusticum incidit, qui mercem recens emptam contemplabatur, & manu sursum ac deorsum versabat. Erat is culter curuatilis, cuius osseum manubriù bellè redibat in caput, & conduplicabatur, vt sibi ipse vagina esset, & commodè ac sine læsione in sacco posset ferri. Ad hunc oculos, mox etiam manus adiecit, sed minùs dexterè. Nam & rusticus tam charæ merci intentior, manum illi in sacco deprehendit, eamque strictim tenens, *Furem, Furem* proclamauit. Adsunt illico lictores, capitur, magistratui sistitur, in vitam illius reliquam inquiritur, torturæ admouetur, in qua alia furta multa (nec enim omnium meminit) falsus, furcæ adjudicatus, atque in prædicto, sibi que debito patibulo suspensus, è sublimi loco docuit, non facile peruenire fures ad astra: nam et si eò tendant, tamè plerumq; illos inter cælum & terram medios hætere.

IX.

Verùm est quidem, multos ex hoc hominum genere de peccatis dolere, quorum animæ ad sidera vsque ascendunt, sed ij desinunt esse fures, & transeunt in poenitentes. De furibus Paulus ait: *Neque fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum DEI possidebunt.* De poenitentibus: *Hac fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis.* Hac de causa finit fures capi, vt vel in vinculis poenitentiam agant, qui in libertate positi numquam resipissent. Hac de causa, *nulli etiam*

Senece. ep. 75.
ad Lucil.

cui

cui rapina cessit feliciter, gaudium rectè duravit in posterum. Diogenes canem, non hominem egit, quando nimis properè effudit, Harpalum celebratissimum furem, contra Deos testimonium. Laert. lib. 6 dicere, quòd in illa fortuna tamdiu viueret. Desipuit tunc Philosophus, quia nesciuit patientiam & longanimitatem DEI, quæ ad pœnitentiam homines expectat: quam si non agant liberi, coguntur quodammodo agere captiui antè, quàm ducantur. Quòd si enim, teste Lampridio, Alexander Seuerus adeò vindex fuit furti, vt per præconem sæpe edixerit: *Nemo salutet Principem, qui se furem esse noscit*: quis putet, vllum vel furtum, vel aliud facinus, apud diuinum tribunal fore impunitum? Omnis autem pœna huius vitæ infertur, vt liberet æternâ pœnâ pœniterentes: ad cælum dummodo veniatur, perinde est, quâ viâ veniatur. Etsi enim vtique satius esset non peccare, vbi tamen peccaueris, cum per pœnam & pœnitentiam eundem sit ad cælum, illud verus locum habet: *Theodoro nihil refert, humine, an sublime putrescat*. Nec sanè refert, in aquis, an flammis, peste vel ense quis moriatur, dummodo morte iustorum moriatur.

Libet coronidis loco addere, quosdam etiam ludentes mori: quæ non est mors optanda: rarò enim tales satis sunt ad hanc luctam parati. Omnia alia cogitabant. *Tenent tympanum, & sitharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*. Quare vt mortales à vanitatibus eiusmodi, ac Bacchi festiuitatib⁹ absterreat Deus, multa & terribilia exempla Mundo exhibuit, in quibus comœdiarum lætitiæ in mœstissimas tragœdias transferunt. Refert Paulus Æmil. lib. 10. de Franc. reb. & Bapt Fulgos. lib. 9. cap. 10. Paul. Æmil. lib. 10. de Franc. reb. & Bapt Fulgos. lib. 9. cap. 10. illustres, in aula regia, nuptias adornatas, quibus exhilarandis, rex ipse voluerit interesse. Finem jam habebant dapes, mensisque remotis, dies in noctem, compotatio in tripudia, homines ad choreas iuerant. Ibi, reginâ quoque in lætitiis communes effusâ, rex quinque alijs, è præcipuâ nobilitate, comitatus superuenit: atque, vt licentiùs posset lasciuire, larua vultum texerat, ex homine in leonem deformatus. A capite, per cervicem, armos, & corporis superiora, metuendi aspectûs jubæ dependebant, quæ vt cum veste coalescerent, pice liquata, conglutinabantur. Cætera ita erant

X.

Iob. 21.] 24

Paul. Æmil.
lib. 10. de
Franc. reb. &
Bapt Fulgos.
lib. 9. cap. 10.